



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1531

VD16 H 224

De morte maximini & persecutione Maximini eius collegae. Cap. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29805

RERVM MEMO. LIB. VIII.

Quibus ignes, laminas, crues, & singulis membris specialia infert supplicia. Igitur decem annis huius persecutio deuolutis, adeo iterum diuina prouidentia nostris, & quos per ignem probauerat, educit ad refrigerium. Nam diuina correptus ultione idem Maximinus, subito inflatus visceribus distenditur, putrefactusq[ue] postmodum vulneribus virmes ebullit, fætorumque intolerabilem exhalat.

H A Y M O.

Caput III.

Rediuiuum quodammodo persimilem morbum habemus nunc Herodem. Ille quia Christum persequitur, pubetenus inflatus scatet vermis: & iste probroso eodem laborat exitu, quia persequitur Christianos. Actu siquidem pulchro diuine considerationis intuitu, ut daretur intelligi, quam sit capitum & membrorum connexio, quam & quam indiuisa sit Christi charitas, zelus ad ecclesiam, dum eadem infert vindictam persecutoribus suis, quam suipius persecutori. Itaque cum iam desperaretur a medicis, sera ductus penitentia Maximinus, legem scribit, ut cesset persecutio Christianorum, & redifificentur ecclesiæ. Tunc velut sole terris reddito, relaxantur omnes vinciti: & qui damnati erant per metalla, reuehuntur, restaurantur ecclesiæ, sacerdotia reparantur, stupentibus gentilibus turmis deranta & tam subita rerum mutatione. Sed hanc pacem redditam nostris, Seuerus Maximinus prefati Maximini collega, in orientis partibus atque Aegypto tyrannidem exercens, statim post sex mens perturbat. Rursum aduersus nostros persecutio-

HAYMO DE CHRISTIA.

instauratur, concitantur simulacrorum pontifices in
odia & necem Christianorū. Quod ut aliqua iusta ra-
tione videatur fieri, configuntur acta quēdam velut
apud Pilatum de salvatore nostro habita, in quibus
aduersus Christum omnis blasphemia conscribitur.
Tūc rursum apud Tyrum & Phœnicē multi martyres
agonizant, & per multa alia loca. Addit quoq; p̄fā
tus Seuerus Maximinus impietati suā, q; aduersum
nostros leges æreis tabulis scribit, tanquam in æternū
mansuras, in quibus impie & superbe commemorat,
quōd ex Christianorū persecutione esset tempesties, &
terræ fœcunditas abundantior. Sed his superbis legi-
bus statim contradicitur à deo, & res vertuntur in cō-
trarium, & pro ipsa nostrorum persecutione mox re-
stricto imbribus cælo, & facta intolerabili ariditate,
fames ibi dira grassatur, aëris quoque tempesties in tā-
tam vertitur corruptionē, vt humana corpora pessi-
mis ylceribus intumescant, quæ ignis sacer appellantur.
Igitur duæ validissimæ pestes & lues populum
deuastant, cum tamen (quod mirabile) nec fames in
aliquo, nec lues nostris dominaretur. Vnde postmo-
dum ab omnibus Christiana religio vera & perfecta
esse in clamatur, petiturq; à nostris subsidium alimo-
nię & orationis. Addit quoq; deus Maximino hanc
iusta retributione confusionem, rebellant & Armeni
prius amici Romanorum, propter nefaria eius di-
cta. Quorum in bello & ipse turpiter fugatur, & exer-
citus interiitense. Tunc sacerdotes deorum suorum
& diuinos, quorum responsis bella mouerat, interfici
jubet tanquam fallaces, qui & demum vehementiæ-

RERVM MEMO. LIB. VIII.

gritudine & doloribus internorum viscerum corre-
pius, amissis quoque morbo luminibus, & tunc ma-
gis quid aduersus Christum commiserit videns, viue-
di finem facit, lata prius lege pro liberatione Christia-
norum.

DE CONSTANTINO imperatore.

Caput IIII.

Per idem tempus exoritur Constantinus religi-
osissimus imperator, Constantij æque modera-
tissimi principis, de quo Paulo ante memoriaui-
mus, filius & hæres, Romanum obtinet imperium.
Hic in obseruantia religionis omnes ante se impera-
tores exuperat. Hic vltimis persecutionum temporibus
fere, cum vellet deus repropitiari sanctis suis, & ecclæ-
siam suam tranquilla pacis soliditate stabilire, Christi
anus effectus, licentiā dat Christianis cōcilia libere cō-
gregare, & ædificare ecclesias, quas & ipse plurimas cō-
stituerat, & plurimalargitur, diuino cōmonitus spiri-
tu, & hoc cælesti miraculo: Cum esset pugnaturus cō-
tra Maxentium urbis Romæ tyrannum, & inde diui-
num auxilium deprecaretur, vicit nocte per soporem
signum igneum in cælo, & astare angelum dicentem:
Cōstantine, in hoc signo vinces. Itaq; cū hoc signo in
militaria vexilla transformato procedit ad bellum,
idemq; signum ex auro fabrefactum dextera manu
sua gestans, & deprecans deum, vt si fieri posset, illam
dexteram suā nō sineret Romano sanguine maculari
pr̄statq; ei deus, Maxentiumq; tyrannum cōgredi pa-
rante, cum vniuersis nauibus quibus fluvii strauerat,
demergit in profundū. Tunc Senatus populusq; Ro-